

V
B
J
C
36914
I

VITA
SANCTI
FRANCISCI XAVERII
E SOCIETATE JESU
INDIARUM APOSTOLI,
AC THAUMATURGI,
COMPENDIO DESCRIPTA:
ET
AD PROPAGANDAM IN EUNDEM SANCTUM PIETATEM RECUSA.

LUBLINI,
TYPIS COLLEG. SOC. JESU. A. D. 1691.

REIMPRESSUM GEDANI,
LITERIS JOANN. JAC. PREUSSII. 1736.

Pro Novitiis ad Sm Mathiam S.J.



Reimprimatur.

DOMINIC. SIENIENSKI,
E. M. Offic. Gedan. per Pomer.
Generalis.





EPITOME VITÆ SANCTI FRANCISCI XAVERII.

* * *

CAPUT I.

GENUS ET NATIVITAS FRANCISCI XAVERII.

Natus eſt hic Magnus Orientis Apoſtolus avitâ Regum Navarræ, & Aragoniæ Stirpe oriundus, Patre Joanne, Matre verò Mariâ, Anno Chriſti 1497. in Xaverio (unde & Nobiliſſima ejus Familia nomen accepit) Gentilitio, nec procul Pampelona diſſito Regni Navarræ Caſtro, & quidem eo ipſo tempore, quô navigantibus Europæis recluſus novus Orbis ſeſe aperuerat: ità diſponente Divinâ Providentiâ, ut ubi mortali-

um uſibus novæ terrarum partes adderentur, eſſet etiam, qui annuntiando barbaris illis Gentibus Evangelio, & lucrandis Chriſto animabus pro virili incumberet. Præſtanti Adoleſcens ingenio, politiore literaturâ excultus, Philoſophicâ deinde, ac Theologicâ laureâ decoratus: Philoſophiæ Doctor cum eſſet Pariſiis, Divo ſeſe Ignatio junxit Diſcipulum, & individuum ad lucra animarum comitem: quô Magiſtrô in tam admirandum evaſit Divinæ Gloriæ propagandæ Inſtrumentum, tantumque cæleſtis ignis mutuavit ab Ignatio, quantum ad diſſipandas totius Orientis tenebras ſuffiCeret. Huic itaque operi (quod *omnium divinorum diviniſſimum* vocat S. Dionyſius) dum inſcrutabili DEI conſilio deſtinatur Franciscus, ſimul collatis in unum Spiritus Divini dotibus, & gratiis (quas olim naſcente Eccleſiâ in multos diſperſas Doctor Gentium Paulus, ad Corinthios Cap. 12. ſcribens expreſſerat) mirificè à DEO fuit exornatus; ut idem Apoſtolus audiret, & Propheta; doctrinâ abundaret, & virtute; ad hæc gratias ſanitatum, & opitulationes, gubernationes animorum, & genera linguarum, liberaliſſimè à Divino Spiritu communicata, poſſideret.

CA-

CAPUT II.

S. XAVERIUS APOSTOLUS.

Non immeritò Apoſtoli elogium ſibi vendicat Xaverius; quippe qui à Chriſto Domino per ſuum in terris Vicarium Paulum III. cum poteſtate ac dignitate Apoſtolici Nuncii, ad Evangelii lucem Indiæ inferendam, rite ablegatus, toto decenniô univerſum Orientem percurrit; ubi ultro citroque commeando plùs quàm centum millibus milliarium emenſis, luci reſtituit eam, quæ jam tenebris pridem obſoleverat, doctrinam Evangelicam Divi Thomæ Apoſtoli, ſimulque fidem præſtitit vaticinio, quô (ut habet Indorum traditio) olim S. Thomas prædicatum abs ſe Evangelium in vigorem priſtinum reſtituendum prædixerat, tum, cum mare crucem in remotiore littoris parte erectam alluere inciperet (id quod ſub ingreſſum Xaverii in Indiam contigit) tunc nimirum ex Europa adventurum ſibi in Apoſtolico docendi munere ſucceſſorem. Myriadas infidelium iſthic fide Chriſti imbuit, & ſacro fonte expiavit; quos inter complures Reges, ac Reginæ, Virique Principes, ac Dynaſtæ quàm plurimi, adeò, ut non ſolius Florimundi Remundi, ſed & aliorum graviſſimorum Virorum conſtans ſit effatum: unâ

 ſolius

ſolius Xaverii operâ plures Gentilium ad Ovile Chriſti eſſe adductus, quàm omnes Hæreſiarchæ ſimul ſumpti abduxerint, neque hoc ex vano; cum etiam Gregorius XV. Anno 1622. Sacroſancto Oraculó pronuntiaverit: *unum Xaverium plures ſubmiſiſſe Eccleſiæ, quàm ſuo Romani, Græcique ſubdiderint Imperio.* In ſola Civitate Amanguzi, Rege priùs conciliato, ſupra triginta millia: ut Urbe Tolo ſupra viginti quinque Gentium millia, exiguô temporis ſpatiô, DEO cæloque lucrifecit, complura Ethnicorum delubra, ac fana evertit; ultra quadraginta idolorum millia (frementibus ſæpe per áëra dæmonibus) confregit; innumera verò DEO templa excitavit: in Ora Piſcaria quadraginta, in Travancoride viginti; plura ac plura alibi: ſupra duodecies centena hominum millia, propriâ manu ſalutaribus undis abluit: in Travancoride unius diei ſpatiô plùs quàm dena hominum millia, impreſsô baptiſmali charactere, cælo aſſeruit; ut adeò præ nimia fatigatione, loquendi uſu pænè ereptô, onus habuerit, qui baptizantis (velut quondam Moyſis pro populo orantis) brachia ſuſtentarent. Primus Molucenſibus, Paraquariis, Acenenſibus, aliisque ignotis, ac barbaris populis Chriſtum annuntiavit; primus in Japoniam, ſexaginta ſex regno-

rum

rum amplitudine vaſtiſſimam Inſulam, Chriſti causâ acceſſit, eique fidem invexit: primus in Chinarum portum pro diſſeminanda Chriſti fide, poſt tot rerum discrimina, penetravit: ubi Apoſtolicis laboribus fractum, immenſa nihilominus pro DEI gloria adhuc molientem, non animus, ſed vires, vitaque defecêre. Et verò Apoſtolum aliquando fore Franciscum, germana ejus Soror Badeſſa, eximiæ pietatis Sanctimonialis Gandiæ divinitus prævidit; quando conceptis literis enixè Patrem eſt obteſtata, Fratrem ſtudiis liberalibus, ac Theologicis ut admoveret, quòd ille in Apoſtolum Indiæ à DEO deſtinaretur. Apoſtolum fore S. Hieronymus, ſingulari apparitione viſus Venetiis & Vincentiæ, ſignificavit; cùm Francisco Indias, & poſt decumanos labores, copioſam animarum meſſem Cæleſtibus horreis inferendam præmonſtraret. Apoſtolum fore, DEUS ipſe clarè inſinuabat, quando ſuggeſtionibus quàm plurimis, & luculentiſſimis, has Francisco voces identidem ingerebat: *Vas electionis mihi eſt iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus: ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Stetitque ſua fides viſioni, quam ſæpius in ſomnis objecit DEUS, dum is videre ſibi viſus eſt Indum, flebili prece, palmisque ſup-

ſupplicibus à ſe auxilium poſtulantem: aliàs verò Æthiopem, humeris ſuis gravi mole incubantem, quem toto conatu ex loco periculoſo ad tutiora, velut naufragiô ereptum, ad portum transportaret. Indiam nimirum hæc ſignabant, cui, alioquin perituræ, opem divinitus tulit, quamque ex æterno animarum naufragio ereptam, plus quàm Herculeis lacertis ac laboribus, ad portum Cæleſtem transtulit Xaverius. Ut propterea Gregorii XV. hæc fuerit de Xaverio glorioſiſſima vox: *Xaverius nihil minus à magnis fecit Apoſtolis.*

CAPUT III.

S. XAVERIUS PROPHETA.

Dono prophetiæ præditum fuiſſe Xaverium, agnoverunt ii, quibus intima animi ſui ſenſa, occultas dæmonis tentationes, peccata, nullo hominum conſciô patrata, & ſecreta cordium ſæpius revelavit: coram quibus res futuras evulgavit; res diſſitas, tanquam ſi præſens adeſſet, enarravit. Quòd in Portugallia Joannes III. Rex in favorem fidei, quod Romæ decernebat Ignatius; hoc eodem prorſus tempore in India ſciebat, mandabat & exequebatur Franciscus, Ducentis aliquando leucis ab Urbe Malaca, in qua Xaverius

eâ

eâ ipsâ horâ pro concione dicebat, pugnabatur; ipſe tamen abruptô ſermonis filô, velut eſtaticius, primum conticuit, tum agonizantis in morem expalluit, denique apprehenſam Chriſti crucifixi effigiem brachiis ſtringens, in hæc lacrymabili voce prorupit: *O JESU Chriſte! DEUS cordis mei! obſecro te per ſupremos vitæ cruciatus, ne deſeras, quos Sanguine redemiſti!* poſt quæ, ubi fatigato ſimilis, reclinato capite paulisper quievit; ſubitò bonô animô eſſe juſſit: ſimulque incipientis, progredientis, ac ferventis pugnæ ſeriem, ac ipſam denique victoriam, quam ducenti & triginta Chriſtiani Luſitani, contra quinque barbarorum millia (non amplius tribus ſuorum deſideratis) retulêre, examuſſim ſuis Auditoribus de ſuggeſtu enarravit: quos illico ferventi oratione ad reddendas DEO gratias accendit; appromittens, poſt triduum famam de cæſis hoſtibus indubiè advolaturam: eventus dicta confirmavit; quando die tertiâ Malacenſium octo naves, ſpoliis & captivis onuſtæ, viginti quinque hoſtilia navigia ad portum appulerunt. Res futuras vaticinô oculô adeò crebrò prævidit, & prophetico ore prænuntiavit, ut paſſim Propheta magis, quàm Xaverius audiret: dicebatque nonnemo æquè Sanctus & doctus ſpiritum prophetiæ apud multos inter-

dum divertiſſe; at apud paucos æquè conſtanter, ac apud Xaverium habitâſſe. Hinc ruinoſæ cuidam, maleque compactæ Jacobi Pereiræ navi prosperum curſum; alteri verò velis remisque bellè inſtructæ naufragium prædixit: & comprobavit eventus vaticinium; quando illa ad portum feliciter, hæc verò ad ſcopulum infeliciter appulſa, tabulas ſparſit. Prænuntiavit interitum Urbi Tolo; tragicum exitum D. Alvaro de Ataide; Gregorio Alvarez adhuc infanti, futurum ſanctum religioſum; Francisco de Roſalas, heroicum Martyrium; Francisco Duci de Agnilar mortem non violentam, ſed naturalem, ac ſuavem; Mercatori ex Meliapore ſanitatem, Joanni Duro Socio ſuo ſanctitatem, æternamque beatitudinem; verbô, ſupra quinquaginta majoris momenti vaticinia, per idoneos ac juratos teſtes, in proceſſu pro ejus canonizatione facto, comperta ſunt; ipſo eventu firmata; minùs notabilibus in cenſum non vocatis, ut propterea Sacra Rituum Congregatio, Alexandro VII. approbante, non immeritò edixerit, *Xaverium propheticæ ſpiritu paſſim afflatum, plurima & locô, & tempore remotiſſima enuntiâſſe.*

CA-

CAPUT IV.

XAVERIUS CÆLESTIS DOCTRINÆ MAGISTER.

Magiſtrum, non modò laurea Theologica, & Ariſtoteles cum plauſu publico Pariſiis explanatus; verùm etiam Cæleſtis Sapientia Doctorem Gentium apud Indos, & Japones teſtata eſt Franciſcum: ubi palam Divinæ Sapientiæ ludum aperuit, & legem Chriſti prælegit Evangelicus Profeſſor: quamvis vias vitæ docenti non ſemel mortem pro minervali barbari diſcipuli minitarentur. Acerrimus vindex veritatis hanc contra Brachmanes Indorum, Imanes Turcorum, & Bonzios Japonum popas, errorum ac falſitatum tabulas, inſpectante, & Franciſci doctrinam approbante cum univerſa aula ipſo Rege Bungi, conſtanter tuebatur; tanta Cæleſtis Sapientiæ apud illas Gentes ſparsâ famâ, ut gentilis quiſpiam Anger (poſtea in baptiſmo Paulus) nuncupatus, ad audienda Apoſtolici hujus Doctoris dogmata, ſex millia ſtadiorum peragrare non dubitaverit. Teſtantur cæleſtem Doctoris hujus ſapientiam exaggeratæ Sanctitatis Diſcipuli, Gaſpar Barzæus in Armuziam; Coſmus Turrianus in Japoniam; Alphonſus Cypriani in Meliaporem; Nicolaus

Lan-

Lancellotus in Ceilan; Melchior Gondesalvus in Bazain; Ludovicus Mendez in Oram Piscariam; Antonius Criminalis (primus postea è Societate Martyr) in Comorinum ablegati: quos omnes in Ignatianæ Virtutis palæstra ad conversionem Gentium tam feliciter formavit Xaverius; ut inter Judæos, Mahometanos, ac Gentiles, in famosissimos fidei evaserint Magistros, & idololatricâ superstitione debellatâ, innumerabiles Christo animas addiderint. Ut adeò etiam adolescentuli, quos fidei Christianæ rudimentis imbuebat Xaverius, continuò tantùm non ex infantibus Concionatores effecti, docerent alios, quod ipsi didicissent: quin & ad patranda miracula, persanandos ægros, deturbanda idola, expellendosque è corporibus humanis dæmones, solo freti Xaverii rosariô, evolarent, ut non rarò novellæ illæ plantulæ, & prima florescentis Christianitatis germina, ad Magistrum suum Franciscum cum exultatione reverterentur, & exclamarent, ut olim ad Christum Apostoli: *ecce in nomine tuo, etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Erat videre cum tenerrimò animi sensu, imò cum dulcissimis lacrymis, quanto fervore ac zelô hi parvuli Angeli annosos & decrepitos senes deducerent ad Franciscum, ut hôc Doctore viam ad cælum per-

perdiscerent, qui jam cum canis suis tendebant ad inferos. Ut taceam plùs quàm sexcentorum invictissimorum Martyrum luculentam constantiam, in insulis Manariis; & propemodum infinitorum in regno Japoniæ: Ceilan, ac reliquo Oriente, qui Magistrô Xaveriô Christianæ fidei dogmata sanguine suo consignârunt, & tutati sunt.

CAPUT V.

QUANTUM DEI ET PROXIMI AMORE PASSUS S. XAVERIUS.

Virtutum dona, quibus anima justi in thronum DEO dignum adornatur, in Francisco fuêre penitus admiranda. Nota est universo mundo ardentissima ejus charitas, quâ in DEUM, velut in centrum suum unicè ferebatur, illud Divi Augustini continuè usurpans: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et illud Apostolorum Principis: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Ex quo amore profectum est, quòd omni sui curâ posthabitâ, & contemptô quovis sui dispendiô, inter adversa, quæ DEI, & salutis animarum causâ, passurum se divinitus accepit: *ampliùs Domine! ampliùs!* exclamaret, cælestibus verò consolationibus

bus cùm adeò afflueret, ut illis ſuſtinendis imparem ſe animadverteret, diductâ veſte, flammisque ex nudato pectore, veluti ex foco Divini amoris erumpentibus: *Satis eſt Domine, Satis eſt!* ingeminaret: ſolo ſcilicet amore Divinô contentus ac beatus; DEO placuiſſe, illiusque diviniſſimum cor exhilaráſſe, pro omnibus illi erat præmiis. Ardentiſſimam hanc in DEUM charitatem, ipſius DEI causâ liberaliter in proximum derivabat, nullis unquam incommodis in procuranda animarum ſalute fractus, aut abſterritus; imo hæ unicæ ipſius erant deliciæ: unde lib. 5. Epiſt. 10. ad P. Simonem Rodericum ita ſcribit Cocino: *Non eſt alius fructus animi major in hæc ærumnoſa vita, quàm vivere in magnis moriendi periculis; quorum adeundorum unica & vera cauſa fuerit ſolus DEI amor; & ei gratificandi, dilatandæque noſtræ ſanctæ religionis ſincerum ſtudium. Suavius, mihi crede, homini eſt, in hisce laboribus verſari; quàm ſine illis pacatè, & otiosè quieſcere.* Otii igitur & quietis oſor maximus, percurrebat Orientem nudipes (O vere nuntium Apoſtolicum!) relictis poſt ſe non rarò, ex veprium ſtimulis, & aſperis viarum offendiculis, cruentis veſtigiis; bajulus ipſe Sacerdotalium apparamentorum, ac librorum divinorum, delatô ſecum modicô

dicô

dicô Oryzæ, quod fesso ac famenti Christi militi in annonam deserviret. *Similis factus homini negotiatori, quærenti bonas* animarum *margaritas.* Mercatori Ethnico aliquando se in pedisequum obtulit, jumentum illius instar equisonis curando; nullâ aliâ mercede, quàm ut eo duce Meacum, Japoniæ Metropolim, prædicandi Evangelii causâ, penetrare liceret: quem si pedes assequi non valeret, nonnunquam ad equi caudam manibus appensus (seu rueret in terram, seu erigeretur) per spinas & sentes, indefatigabilis sequebatur. Maritima itinera obibat tempestates inter, ac naufragia, ter omninò demersus, tantùm non submersus; quippe cui sub aquis tota navis incumberet: aliàs in naufragio arreptâ tabulâ, tribus diebus ac noctibus cum feris fluctibus colluctatus, tandem vix semivivus, littus attigit. Indiam periturus, exortâ tempestate, quâ mercatores, ut vitam redimerent, omnibus mercibus in mare ejectis, navim jam jam subsidentem alleviare coacti sunt, quæ mens Francisco fuerit, ipsemet Epist. 6. Romam deinde perscripsit: *Tunc*, inquit, *suppliciter Christum orabam, nè me ex illo periculo eriperet, nisi ad paria, aut etiam graviora, sui obsequii, gloriæque causâ, reservaret.* Undique oppugnatus, affli-

afflictionibus, morbis, rerum omnium egestate, inter continua vitæ pericula grassante peste, & pestilentioribus hominibus, exporrectam semper, ac serenam mentem ad DEUM habebat. Impugnabant DEI servum Gentiles, invadebant pyratæ, & latrones; calumniabantur falsi fratres, & fidei desertores; ipsi adeò dæmones omnes in eum furias è tartaro evocavêre, DEO servi sui virtutem exercente: dæmones infandis suggestionibus, & sæpe inflictis verberibus crudeles; falsi fratres calumniis innocentissimi Viri famam lacerantes; latrones intentatâ morte formidandi; Gentiles lapidibus, quandoque & sagittis prætereuntem impetentes, sanguinem ejus sitientes, vitæque non semel propinatô venenô insidientes. In aula Regis Amanguzii pro stulto habitus, exsibilatus, conspuţus, lutô ac sordibus conspurcatus; jam jam occidendus traditus latronibus, quos tamen formidanda tempestas, repentè divinitus immissa, à facinore absterruit. In insula Moro, à barbaris incolis lapidandus flumen versùs se recepit: ubi (adjuvante DEO, servi sui protectore) ingentem trabem levis ad instar arundinis, manu sublatam, aquis superstravit; sicque per extemporaneum pontem, transitô flumine, saxeam grandinem evasit, attonitis, neque insequi audentibus,

tibus, Barbaris. Sæpius nihilominus vitæ pro DEO fundendæ prodigus, hostibus, si liceret, occisuris occurrit intrepidus. Quoties contagiosâ lue infectis servivit? quoties in se armatos lapidibus ac sagittis Gentiles de vana superstitione zelosè increpuit? quoties contemptâ inspectantium Regulorum & Sacrificulorum ultrice furiâ idola subvertit? Contra exercitum Badagarum, qui irarum ac cædis plenus, torrentis more in Neophytos irruebat, unus Franciscus, solâ armatus corollâ precatoriâ: ante suorum Lusitanorum aciem stetit, hostemque furiâ temulentum, acri obtutu, & potenti sermone perculit, repressit, & in fugam convertit. Transmissurus in Japoniam exiguæ & malè fartæ naviculæ animam suam credidit; non obstantibus undequaque itinerantium cæde infamibus pyratis: quemadmodum & insulam Moro, devorandis peregrinis assvetam, proximi juvandi causâ imperterritus adiit; & in Chinarum continentem penetravit, ubi mortem sibi venturo omnino decretam non ignorabat. Ità DEUS, & Proximus totam sibi vendicabat charitatem Xaverii, illud semper præ oculis habentis effatum Christi: *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

 CA-

CAPUT VI.

S. XAVERII HUMILITAS, SUIQUE MORTIFICANDI STUDIUM.

Charitati Xaverianæ individua comes jungebatur humilitas; ſub cujus magiſterio ità profecit docilis diſcipulus Xaverius, ut ſeſe omnium hominum nequiſſimum crederet, & palàm profiteretur, ità enim Epiſt. 6. Romam datâ de ſe ſcribit: *me ſanè pudet nequiſſimum omnium mortalium in ultimo diſcrimine* (loquitur de periculoſiſſima tempeſtate) *præ cœleſti lætitiâ tantam lacrymarum vim profudiſſe?* Hujus virtutis ductu, ſeipſo contemptô, & laudabiliter immemor ſuæ avitæ nobilitatis, à Regibus Navarræ profectæ, collatæque ſibi in fidei promovendæ favorem dignitatis Legati Apoſtolici, ad genua, & deoſculandas cujuſcunque Sacerdotis manus reverenter accidebat; omnium ſe poſtremum ſentiens, omnium pedibus calcari, pro DEO, exoptans: terrâ & mari, Xenodochiô & itinere: nemo erat tam abjectus, cui ipſe primus non miniſtraret: curabat jumenta & ægros; vertebat iſtorum habitacula, ſternebat lectos, emendicatos cibos coquebat ipſe, & eorum ori ingerebat, morientibus conſolator adſtabat, ad ſanctè moriendum diſponebat; mortuos denique ſepeliebat;

verbô,

verbô, medicus iis erat & mediastinus: ipsam adeò ulcerosorum saniem aggressus eô ardore suique victoriâ, ut dum more suo alterius ulcus abstergeret, defluens inde tabum generosè exsuxerit; aliàs verò putrescentem saniem ab eluto ulcere manantem ebiberit in sanitatem ulcerosi, quam iste sibi continuò sensit divinitus impertitam. Reliqua admiranda demissi animi, cæterarumque virtutum exempla, proposita nobis brevitas silentiô cogit premere. Illud obiter addendum, quod Sacra Rituum Congregatio approbavit, & Lectionibus Officii de S. Xaverio inseri mandavit Alexander VII. *Franciscum interdictô sibi non carnis solùm, & vini, sed panis quoque triticei usu, vilibus cibis* (quales expetit humilitas) *vesci solitus, per biduum subinde, triduumque omni prorsus alimento abstinebat, ferreis in se flagellis ita sæviebat, ut sæpe copioso cruore difflueret: somnum brevissimum humi jacens carpebat*, duro saxo aut funibus nauticis interdum capiti substratis: cujus creberrimæ inter dormiendum aspirationes erant: *O JEsu! mi JEsu! dulcis JEsu! o Creator mi!* ut dubitares, plusnè oraret, an dormiret? dicere certè poterat illud Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

 CA-

CAPUT VII.

S. XAVERII PRODIGIOSA POTESTAS IN OMNIA ELEMENTA.

Quod si jam virtutum Apostolicarum nomine prodigia patrata intelligas; calamus, & lingua narrantem deficiet. Illud compendiô dixerim de Xaverio, quod Philo de Moyse: *Omnia elementa obediebant ei.* Obediebat Ignis; quando ad crucis signum & vocem Xaverii domorum incendia modò exstincta, modò ulterius serpere sunt prohibita. Obedivit àër, quando venti ad ejus imperium nunc quiescere, nunc ad propellendam secundis flatibus classem vocati, assurgere sunt coacti: quando rebellem Christo, & Lusitanis Civitatem Tolo, immissâ cælitus lapidum, ac cinerum grandine, atque exinde repletis vallis, attritisque aggeribus coëgit per deditionem in obsidentium Christianorum vota descendere: quando sacrum ejus corpus infectum peste àërem, odore suo purgavit. Obedivit aqua; quando ad Xaverii imperium mare tumentes fluctus confregit, & sedatis tempestatibus sua Neptuno rediêre alcedonia: quando tantum aquæ marinæ solo crucis signô, sublatâ sulsugine convertit in dulcem, quantum quingentis Vectoribus, siti penè jam ad mortem adactis,

ctis, diu ſuffecit ad delicias: quando denique piſcatores, poſt improbos fruſtraneosque labores, abitum præ deſperatione jam parantes, ſua retia denuo juſſit laxare in capturam, concluſâ ingenti multitudine piſcium. Obedivit quoque Xaverio Terra; quando ad ejus imperium immanè quantùm dehiſcens atque contremiſcens, fragore ſuo ſceleratos ad pœnitentiam, & obſtinatos Gentiles ad exuendam perfidiam ſalubriter concuſſit. Ampliùs autem in corpore ſuo terreo admirandus eſt Franciſcus, quod pluribus à terra cubitis in ſublime quandoque apparuit, id *quod illi ſacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit*: quod ſtimulis concupiſcentiæ carnalis omnino immune (inter illos præſertim nudos, ac beſtiales homines) perpetuò virginitatis flore intaminatum viruit; quod inter tot ærumnas, verbera, inſidias, peſtes ac venena, ſemper inoffenſum valuit; & poſt mortem penitus usque ad hunc diem manſit incorruptum. Virginitati, per omnem vitam à Xaverio ſervatæ, hæc fuit prærogativa; cujus amore non tantùm vigil ab omni impuritatis umbra quàm vehementiſſimè ſemper abhorruit, verùm etiam dormiens, cùm ei fortè turpe phantaſma ſopor objiceret, usque ad ſanguinis, è naribus erumpentis profluvium, pro tu-

enda castitate repugnavit; & vel suo virgineo sanguine impudenti Veneri ruborem incussit. Sed & in brutas animantes imperium exercebat Xaverius; quando in littore oranti, Christi crucifixi signum (quod quadraginta ab inde leucis, ad sedandam tempestatem in mare projecerat) obsequiosus cancer retulit, acceptaque benedictione maris profundum rursus repetiit. Exercebat denique Franciscus imperium in dæmones, quos ex obsessis corporibus expellebat, quotquot occurrerent: qui etiam, dum Vir DEI Insulam Moro primùm pro concione alloqueretur, eique Christum annuntiaret; concussâ & in hiatus disruptâ terrâ, flammarum instar, visibili specie evolantes inconditis ejulationibus, ac rugitibus fugari se vociferabantur, auditi etiam à Gentilibus per àërem clamare: *Tu nos peruris Francisce! tu nos è regno nostro pellis.*

CAPUT VIII.

S. XAVERIUS ÆGRORUM MEDICUS, ET MORTUORUM SUSCITATOR.

Sed neque defuit Francisco prærogativa conferendæ sanitatis. Fuit è Sociis unus, quem cum morte jam luctantem, cereóque mortuali in manibus ardente sibi-

ſibimet ad ingrediendum æternitatis iter prælucentem, ſolo amplexu continuò ſanitati reſtituit. Fuit alius lethaliter vulneratus, qui humeris Francisci impoſitus, ſubitò incolumis exſiliit. Fuit leproſus, cui ſimul ac eum abluit, lepram & ulcus abſterſit. Fuit Malacæ Epiſcopus, qui ducturus ad calculum miracula ſanitatum à Xaverio redditarum, tantùm in ſua Diœceſi, octingentis ſubitò recenſitis, deſtitit; quòd animadverteret laborem ſuum imparem fore tantæ copiæ. Fatentur id cœci, quibus viſum; & claudi, quibus greſſum reddidit; ut dicere poſſet cum Jobo: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Fatetur India, ubi non modò ipſe, ſed & ejusdem ſacri crines, cingula, flagella, roſarium, chirographum, ſuggeſtus, oleum ex ejus lampade deſumptum; imò & aqua, ejus Numiſmate imbuta: & quod amplius eſt, ipſius etiam umbra, innumerabiles ægrotos perſanavit. Dabit ipſemet gloriam DEO, & fatebitur Franciſcus, qui ubi funibus cilicinis brachia, & coſtas (ardore ſe mortificandi admirando potiùs, quàm imitando) arctiſſimè conſtrinxiſſet, exindéque periculô, & incurabili vulnere laboraret, deſertus à Medicis, oratione factâ, ſeipſum momentô reſtituit valetudini. Verùm quid in ſanitate tot ægris reddita hæremus

attoniti? quin potiùs mortuos ad vitam à Xaverio resuscitatos obstupescimus? quorum certè tantus est numerus, ut ad certos calculos necdum omnino potuerit revocari, quos ille partim jam ad tumulum deferendos, partim jam dies aliquot in terram defossos vitæ restituit. Reduxit in lucem Servus DEI miracula jam olim à Christo Domino patrata; quando Regulus quispiam gentilis Xaverio supplex factus, rogabat, in domum suam ut descenderet, vitamque filiolæ demortuæ restitueret, cui Xaverius: *abi in domum tuam; filia tua vivit.* discessit hoc tam sicco responso suboffensus Regulus; sed mox ab obvio famulitio de restituta vivis filia recreatus, miraculum ubique deprædicavit. Expostulabat alia nobilis Matrona confidenter cum Francisco, velut quondam Martha cum JESU: *Pater, si fuisses hîc, filia mea non fuisset mortua*, cui ille: *confide, filia tua vivit.* at illa replicans; *& quî* (inquit) *hoc fieri potest, cùm jam triduò sit sepulta?* sed fidem dicto fecit Franciscus, quando deductus ad sepulchrum, apertò tumulô, redivivam Matri filiolam restituit; Spectatoribus hujus prodigii præ gaudio & stupore tantùm non exanimatis. Combaturi, Oppido non ignobili, adolescentulus in puteum prolapsus, & aquîs

haustus,

hauftus, jam jam humandus erat, Matre vero à Francisco, de quo tanta prodigia inaudierat, cum lacrymis opem implorante Vir DEI coram farcophago in genua provolutus, apprehensâ puerili manu, his cum verbis compellavit: *In nomine Domini JEsu Chrifti furge!* illico refedit adolefcens, qui fuerat mortuus ac furrexit. Alium pridie fepultum, è tumulo erui juffum fufcitavit: duos item alios, dum efferrentur, apprehensâ eorum manu, parentibus è feretro vivos reftituit. Verbô, funt homines omni fide digniffimi, qui authenticis narrationibus viginti quinque mortuos à Xaverio ad vitam revocatos jurejurando conteftati funt. Quô tam ftupendô in jura naturæ imperio usque adeo fuêre attoniti quidam Gentilium, ut cum tremore coram Francisco in genua fint provoluti, illum pro DEO adoraturi; nifi fancti Viri, hominem fe, & quidem peccatorem, veri tamen DEI fervum profitentis, modeftia prohibuiffet.

CAPUT IX.

S. XAVERIUS IN MARI PERICLITANTIUM PATRONUS.

Apoftolicis gratiis meritò D. Paulus annumerat *Opitulationes*, feu auxilium ardenter advolans in proximorum

subsidia. Omnis porrò Xaverii vita in hunc unicum scopum collimavit, ac desudavit; quam (ut sileam domum, parentelam, patriam, consanguineos, amicos, & totam denique Europam, quæ omnia impellente animarum zelô deseruit) totam ipse subsidio vel ignorantium & peccatorum, vel pauperum & oppressorum, vel ægrotorum, & periclitantium plenè consecraverat: adeò, ut cùm adesse singulorum necessitatibus ubique non posset, divinô in munere mortalibus alioquin inconcessô, sæpe uno eodemque tempore pluribus in locis (& ut ajunt Philosophi, *replicatus*) visibiliter comparens, omnium, suam opem implorantium, calamitati sublevandæ occurreret. Procul absens à quodam naufrago invocatus, momentô præsentem se stitit, totôque triduô natanti adstitit, donec consumptis cæteris naufragis, unicus ille tabulæ beneficiô desideratum portum salvus contingeret: eôdem portentô decem aliis in malè compacta, & de interitu periclitante navicula invocatus, repentè præsens, adfuit, salvosque è manifesto periculo eduxit. Cujus rei famâ divulgatæ longe plus spei capiebant nautæ ex laceris ac ruinosis navigiis, quibus præsens adforet Xaverius, quàm ex integris, omnique ad navigandum apparatu bellè in-

instructis: mercimonia magnô ære persolutô, etiam à Gentilibus in eas naves comportabantur, quibus vehebatur Xaverius: imò Mercator quidam Mahometanus in lucro reposuit, duplicato naulô, eam pro suis mercibus navim conduxisse in qua vehi noverat Xaverius. Sacra demortui Apostoli lipsana malè materiata navis fortè deferebat, jamque ab imminente scopulo grandis metus incubuerat; cùm ecce inclamatus à Navarchis Franciscus effecit, ut non navis ad scopulum allisa; sed, quod stupendum, scopulus ipse bifariam diffractus, securum transitum faceret navi, tam sacris mercibus onustæ. Cumque sacrum ipsius brachium, quo tot centena hominum millia per baptismum cælo initiavit, Goâ Romam deveheretur, implacabilibûs tempestuosum mare exarsit furiis, rebus jam penè omnibus conclamatis: ad invocationem tamen Xaverii venti, & fluctus posuêre ferociam, suâque mari rediit malacia. Quô factum, ut etiamnum à navigantibus non modò Christianis, verùm etiam idololatris, pro Cynosura, & Patrono maris suspici cœperit.

CA-

CAPUT X.

S. XAVERIUS PATRONUS PESTE INFECTORUM.

Præfatis miraculis, ad DEI majorem gloriam, Sanctique Xaverii honorem, addi possunt sequentia, jure tantò majore, quantó sunt recentiora: nè quis existimet, virtutem prodigiorum operatricem, tractu temporis, in Xaverio defecisse. Potami (Urbs est Calabriæ in Italia sita) novissimis hisce temporibus Thaumaturgus noster innumeris cœpit coruscare prodigiis; quorum notabiliora ducenta & quadraginta duo, idoneis ac juratis testibus ritè firmata, ab Ecclesiastico foro illic recognita, conscripta, & proprio motu pro ampliando Sancti hujus honore typis vulgata, nuper vidimus, & cum admiratione legimus. Narratur ibi justo volumine, qualiter Divus Xaverius imploratus, omnis generis ægris, à pestilenti febri, lepra, cancrena, epilepsia, cæcitate, paralysi, apostematis, sanguinis profluvio, & id genus aliis periculosissimis morbis oppressis, malo licèt jam per complures annos radicato, & inveterato, medicam manum cœlitùs attulerit: qualiter non pauci, quos jam supremus agon ad vitæ mortisque confinia deduxerat; quin & è vivis sustu-
lerat,

lerat, ſibi ſuiſque incolumes ſint redditi; poſteaquam plurium horarum, imò etiam trium, quatuor, nonnulli quoque ſex dierum ſpatiô inter vivos eſſe deſierant. quodque omnem admirationem ſuperat, etiam jumenta, & altilia, ut vaccas, gallinas, &c. idem Sanctus, piá ſimplicitate invocatus, ſæpiùs vitæ reſtituit. Malô geniô obſeſſos liberavit; quibusdam ægris ſpectabilem ſeſe de cælis præbuit, rerum divinarum narrationibus eos conſolando; manu propriâ ſudorem detergendo; ægra membra contrectando, & ad miraculoſam ſuam Imaginem in Eccleſia Potamienſi publicæ venerationi expoſitam, inviſendam, pieque colendam; conceptaque vota adimplenda, comiter eſt adhortatus: nonnullos alios ſuaviter increpans, quòd ſe de ferendo auxilio non interpellâſſent. Nota eſt, & ubique gentium decantata Malacenſium, Parmenſium, Neapolitanorum, aliarumque nobiliſſimarum Urbium devotio, quâ ob ſedatam ejus patrociniô atrociſſimam peſtem, in Patronum publico cum applauſu ſibi delegêre Xaverium. Nota eſt Juſtisſimi Cæſaris Ferdinandi III. (Auguſt. mem.) eximia pietas, qui S. Franciſci Xaverii diem indictis publicis honoribus ab univerſa Aula celebrari voluit, ut eum Tutelarem mereretur: ſciebat nimirum ſacratiſſimus Imperator,

perator, *S. Xaverium*, etiam ex effato Gregorii XV. *esse Christiani Imperii Propugnatorem*. Certè paucis abhinc annis Græcii Styrorum, cùm grassante peste Sacra D. Xaverii Icon publico cultui in templo R.R. Patrum Societatis JESU exponeretur; ab illa ipsa expositionis die (quod benè observandum) nulla omninò amplius persona atroci hoc malo est afflata. In cujus rei memoriam, simulque ob semper continuata hucusque nova prodigia, Templo suo extraordinarium, & perelegans Sacellum, sancto huic Sospitatori addidêre præfati Patres; ut populi devotioni aliquatenus fieret satis. Quid Roma debeat suo Opitulatori Xaverio, fatetur ipsa sparsis per universam Europam S. Xaverii Iconibus æri incisis; quem nuper grassante inibi pestiferâ lue, centenos, ac centenos ab interitu prodigiosè vindicavit. Cujus proinde honori, Templa & Ara complures passim excitantur; & Icones novis ac novis semper miraculis illustres, indies pinguntur, ærique incisæ excuduntur, non sine reciprocis, ac manifestis gratiis, quas DEUS honorem Servi sui promoventibus liberaliter reponere consuevit.

CA-

CAPUT XI.

QUÆ PRINCIPUM, REGUM, AC PONTIFICUM DE S. XAVERIO EXISTIMATIO?

Magnum est, inquiebat Cornelius Tac. *regere urbes, ac provincias: sed majus animis imperare.* Et Curtius de Alexand. *Plus*, inquit, *laudo Imperatorem animorum; quàm regnorum.* Enituit hoc imperio Xaverius, in quo mira quædam potestas gubernandi, ac flectendi mortalium animos; sive in communi vita cum populo, sive in regimine cum Sociis, sive in alloquio cum Ecclesiasticis, Principibus, ac Regibus versaretur. Quapropter ad clavum universæ Societatis destinabatur ab Ignatio. Paulus III. Pont. Max. Xaverii adhuc viventis sanctitatem mirificè suspiciebat. Marcellus II. desiderio videndi hominem, famâ miraculorum, & tot Gentium conversione usque adeò celebrem, ex Indiis Romam ad tempus revocare decreverat. Paulus V. *multis & eximiis virtutum, gratiarum & miraculorum donis à DEO illustratum* prædicabat. Rex Lusitaniæ Joannes III. (cujus molimine Indias intrârat Franciscus) illius nutum pro imperio venerabatur; eumque nunc *Angelum*, nunc *Sanctum*

DEI

DEI compellabat. Rex Amanguzii, & Rex Bungi (qui cum baptismo etiam Francisci nomen à Xaverio ſibi imponi voluit) velut incarnatum DEUM, oracula fundentem, ſuſpiciebant. Rex Travancoridis publicô edictô ſanxerat, ut regnicolæ *Magno Patri* (ſic Franciscum vocabat) non ſecùs ac ſibi magno Regi in omnibus obtemperarent: cujus honori etiam deinde Eccleſiam condidit, ac regali munificentiâ dotavit. Rex Tanoridis & Regina Ternatena dicentem pro concione Xaverium audire avidè deſiderabat: felicior in hoc Rex ipſe & Princeps de Firando, ac alii, qui ſacrâ illius eloquentiâ permoti, calcatis idolis, manus Chriſto dedêre, ſuôque exemplo multa ſubditorum millia fidei Catholicæ addidêre. Verbo: præſens, abſensque ſingulorum corda velut cerea, partes in omnes flectebat: ut proinde etiam Gentiles ejus honori Templum excitârint Cotadæ: in quo admirandum illud accidit, quòd, cùm à petulantibus, & malevolis pro ſublato oleo aqua infuſa fuiſſet lampadibus, aqua non ſecus, quàm oleum ardere perrexerit: imò cùm aquam ipſam, & lychnos ſacrilegi illi mutarent; lychni arcanâ quâdam vi reaccendebantur. Simile ferè deinde accidit Goæ ad Sancti ſepulchrum, ubi triſpithamalis candela con-

continuos octodecim dies, ac noctes indefectibiliter arſit. Quid demum in omni animorum regimine majus, quàm totos armatos barbarorum exercitus, ſeverô ſupercilió, & gravi oratione in metum ac fugam agere? egit (uti quondam Leo Pontifex) Xaverius. Ut adeò cum Pſalte Regio pro teſſera uſurpare potuerit illud: *Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum: quoniam tu mecum es.*

CAPUT XII.

S. XAVERIUS DONO LINGUARUM PRÆDITUS.

Inter cætera Divini Spiritûs dona, non poſtremum ponit D. Paulus *Genera linguarum.* Quàm verò hoc linguarum donô illuſtris fuerit Xaverius, novit India, obſtupuit Japonia. Centum diverſis idiomatis (quorum triginta difficillima, & maximopere inter ſe diſſidentia) loquebatur Oriens; totidem linguis DEO propitio reſpondebat, & colloquebatur Xaverius, neque hic ſiſtebat profuſa DEI gratia: ſed, quandoque unico idiomate ad diverſas gentes concionantem, unaquæque ſuâ linguâ loquentem audivit. Ad multorum item difficillimas, ac diſſimillimas quæſtiones unicâ reſponſione ſimul omnibus ſatisfaciebat.

faciebat. Ita de Xaverio processus, authoritate Ecclesiasticâ instituti: ita referunt quadraginta præclarissimi Scriptores, Cardinales, Episcopi, Canonici & Civilis Juris Doctores: quorum multi prætereà addunt, ex tot admirabilibus rebus gestis id consecutum esse Xaverium, ut tandem non Francisci, sed modò Angeli, modo Prophetæ, modo magni Patris, modo mortuorum resuscitatoris, modo Sancti, modo Apostoli nomine compellaretur. Tot tamen inter gloriosos titulos, ex unanimi totius Christiani Orbis consensu, Summorum etiam Pontificum suffragio, & approbatione, primus obtinuit elogium *Indiarum Apostoli*. Quô hodieque omnium ore salutatur S. Franciscus Xaverius. Neque immeritò; namque, ut suprà Gregor. XV. *nihil minùs à magnis fecit Apostolis*.

CAPUT XIII.

S. XAVERII MINIMA DE SEIPSO, MAXIMA DE S. IGNATIO OPINIO.

Placuit hoc Caput attexere, tum ut humillimi Xaverii minima de se opinio, sparsim insinuata, ampliùs innotescat; tum etiam, ut omnes intelligant, quantus Sanctus sit Ignatius, quem charissimus ejus filius Xaverius, tantis à DEO illustratus gra-

gratiis, tanti æstimavit. Eâ igitur in Ignatium obſervantiâ erat Xaverius, ut minimus ejus nutus pro maximo præcepto fuerit Xaverio: hinc ad unicam literam I. ſibi ab Ignatio ſcriptam, ex ultimo Oriente, per tot millena milliaria, & longè plura viarum diſcrimina, ex tam fæcunda animarum meſſe, quâ nihil in mundo optatius eſſe poterat Xaverio, in Europam redire paratiſſimus erat; non ignarus: *meliorem eſſe obedientiam, quàm victimam.* Hinc ad P. Simon. Rodericum aliquando Romam ita ſcripſit: *Quod attinet tuam in has oras profectionem, ſi id poſſent vires tuæ, ultrò te invitarem, multumque rogarem; ſi tamen id P. Ignatius probaret: Pater enim noſter eſt, cui obedire nos oportet, nec ejus injuſſu vel pedem movere fas eſt.* Ex eadem obſervantia, animique demiſſione profectum eſt, ut ſeſe prorſus indignum reputaret, qui Fratribus ſuis præeſſet; uti patet ex ejusdem Libri 5. Ep. 17. ad S. Patrem, Anno 1552. Cocinô data: *Videat,* inquit, *quid agat tua ſancta Charitas, dum tam ſanctas animas Patrum, ac Fratrum Societatis, qui in his degunt regionibus, gubernationi meæ ſubjicis.* Et poſt paulò addit: *Per ſtudium, quo ardenti flagras, obſequendi DEO Domino noſtro, unam à te gratiam peto, quam (ſi præſens eſſem) poſitis humi,*

C 2 *ante*

ante tuos sanctos pedes genibus, supplex rogarem; ea autem est, ut mittas huc Virum aliquem Rectorem præficiendum Collegio Goano, &c. Et revera eâ humilitate erat Xaverius, ut non solùm S.S. Eucharistiam flexis genibus distribueret; sed eodem etiam ritu literas ad Ignatium exararet; id quod ex Epistolâ An. 1549. 14. Januarii Cocinô ad Ignatium Romam data, est manifestum. Hæc ita habet: *Te ego, Pater animæ meæ, summèque mihi venerande, positis humi genibus (sic enim hanc Epistolam tibi scribo, tanquam si præsentem intuerer) suppliciter oro, ne Deum pro me in sanctis Sacrificiis tuis, ac precibus obsecrare desistas: ut, dum vita suppeditat, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det & planè agnoscendæ, & omninò exequendæ facultatem.* Ubi Ignatium non aliter, quàm Sanctum, & cœlitem invocat Xaverius. *Magnum est*, inquit D. Bernardus, *honorata humilitas!* & hoc est, quod (*in Lect. Off. de S. Xaverio*) ponderâsse videtur Alexander VII. dum ait: *Et cùm tam magna pro DEO ageret Xaverius, erat eâ humilitate, ut S. Ignatio, tunc Præposito suo, flexis genibus scriberet.* Noverat nimirùm, & quidem non perfunctoriè, Ignatium Xaverius; in eoque Sanctum, & grandem Sanctum venerabatur: hinc eum adhuc viventem veluti canonizat, dum literis

teris ad eum Cocinô ſcriptis hanc apponit epigraphen: *A my en Chriſto Santo Padre Ignatio: Meo in Chriſto Sancto Patri Ignatio.* In quibus literis enumerat ſolatia ex Ignatii literis percepta; potiſſimum verò ex iis Ignatii verbis, quæ ad literarum calcem adjecerat: *Totus tuus; adeò, ut nullo unquam tempore oblivíſci tui poſſim, Ignatius.* Quæ verba in ſua epiſtola ponderat, æſtimatque Xaverius; ac tandem ita concludit: *Quæ ego, ut illic cum dulciſſimis lacrymis legi, ita & flens hîc deſcribo; revocans ſuaviſſimam memoriam temporis elapſi, & illius ſinceri ac ſancti amoris, quo me ſemper amplexus, nunc quoque perſequeris,* &c. Ex quibus certè (ut plura brevitatis ſtudiô prætercam) & tenerrima animorum conjunctio, & profundiſſima Xaverii ſubmiſſio, & ingens Viri ſanctiſſimi de Ignatii ſanctitate æſtimatio ſatis liquet.

CAPUT XIV.

MORBUS ET OBITUS S. XAVERII.

Anno tandem 1552. hic *verè Sanctus & electus DEI, novarum Gentium Apoſtolus, qui pro animarum ſalute innumeros maximosque labores, atque ærumnas perpeſſus, ingentia terrâ marique pericula ſubivit* (Urbanus

nus VIII.) *mortuorum ſuſcitatione, & prophetiæ gratiâ toto Orbe conſpicuus* (Alexander VII.) 20. Novembris, in nova expeditione, quam zelô animarum impulſus pro annuntiando Chinis Chriſti Evangelio ſuſceperat, peracto piiſſimè ſanctô Miſſæ Sacrificiô, mortiferâ febri eſt proſtratus; quâ magis, magisque in dies fractus, tandem die 2. Decembris, eâ ipsâ horâ, quâ Salvator mundi in cruce, exſpiravit; *graviſſimis pro fide Catholicâ laboribus conſummatus*, (Martyrol. Roman.) prænuntiatô ſuô obitu, in Sanciano Chinarum Inſula, paupere Luſitani casâ exceptus, omnique humanô ſolatiô deſtitutus, delicias ſuas JESUM ac MARIAM identidem inclamans, in vulnera Chriſti crucifixi, (cujus effigiem tenebat manibus) intuebatur oculis, ore diſſuaviabat; ſanctam animam exhalavit; & è terris in cælum evolavit; æternæ beatitudinis denarium accepturus, pro quo in excolenda apud barbaras illas Gentes Domini vineâ, toto decenniô, & menſibus aliquot indefeſſus operarius laboravit. Illud unum ægrè ferebat æger, naturali ſe morte exſtingui, omnibusque votis expetitam Martyrii palmam ſibi penè è manibus eripi. Quamvis & in hoc ad divinæ providentiæ rationes animum ſuum facilè compoſuit, ubi ſe tam eximiô DEI beneficio indignum reputavit.

Luſi-

Lusitani, ne tam pretiosus thesaurus in ignota tellure inglorius delitesceret, sacra Francisci ossa secum in Lusitaniam revecturi, demortui cadaver vivâ calce per multos menses bis obrutum, novô deinde miraculô penitus incorruptum, suavi odore, & recenti sanguine manans repererunt: quod ubi Malacam delatum est, Urbem illam à sævissima peste liberavit. Quiescit nunc sacrum ejus corpus Goæ; ubi (quemadmodum & alibi) miraculorum multitudine, ac magnitudine omnium ad se rapit corda, & amores.

Illud nequaquam silentio premendum, diem, quo S. Xaverius obiit, fuisse Feriam VI. morte Christi sanctificatam; porrò omnibus ejusdem anni feriis sextis in Hispania, in paterna Francisci domo, Christi Crucifixi lignea effigies sanguinem sudare visa; ipso Xaverianæ mortis die sudorem cruentum reprimere cœpit, nec ampliùs manare deinceps. Eadem Crucifixi effigies per continuos decem annos Indico Apostolatui à Xaverio impensos, quoties is grave quid pateretur in Indiis, pariter sanguinem stillare consueverat; quasi vel laborum prænuntia, vel condolens Servi sui calamitati.

CAPUT XV.

S. XAVERII CANONIZATIO, ET ANNUA FESTIVITAS.


Quoniam ergò (ut loquitur Paulus V. Pont. Max. Anno 1619.) *multis & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit Xaverius*, & novis, iisque penè inauditis prodigiis indies coruſcare pergebat, permoti ſunt complures Imperatores, Reges ac Principes, totâ Chriſtianitate celeberrimi; Epiſcopi prætereа ac Prælati Indiæ in Synodo congregati; ut apud Romanam Curiam ejus Canonizatio procuraretur. Nihil hac poſtulatione optatius accidere poterat Paulo V. Pont. Max. quare mox inſtituti pro ejus Canonizatione proceſſus: quæ tamen, Pauli V. morte interveniente, ad Gregorium XV. devoluta, totiusque Chriſtianitatis applauſu perfecta eſt, qui Franciscum Xaverium, *ubique terrarum novis, maximisq́ fulgentem miraculis* (Alexander VII.) unà cum Ignatio, Philippo Nerio, Thereſia, & Iſidoro, Sanctorum faſtis ſolenni ritu adſcripſit, die 12. Martii, Anno 1622. Ad cujus honorem, ac venerationem, ut Pontif. Max. mortalium animos tantò ampliùs inflammaret, omnibus utriusque ſexûs Chriſti Fidelibus, qui ejusdem feſtô ritè expiati, & S.S. Euchariſtiâ refecti, juxta con-

ſuetas

ſuetas intentiones pias ad DEum preces fuderint, plenarias omnium peccatorum indulgentias in perpetuum conceſſit. Quamvis autem S. Xaverius 2. die Decemb. obiêrit, ejus tamen feſtivitas Anno 1663. ab Alexandro VII. in 3. Decembris translata eſt. Ad quem diem in Martyrologio Romano idem Sanctiſſimus per totam Eccleſiam recitandum, apponi juſſit Elogium ſequens:

In Sanciano Sinarum Inſula Sancti Franciſci Xaverii è Societate JESU Indiarum Apoſtoli, multitudine Infidelium, quos convertit ad Chriſtum, & magnitudine miraculorum, præſertim in ſuſcitandis mortuis, & Spiritu Prophetiæ toto orbe conſpicui, qui confectus laboribus, pro fide ſuſceptis, plenus meritis obdormivit in Domino.

Ex hoc vitæ Xaverianæ Compendio facilè apparet, quem honorem à toto Chriſtiano Orbe jure ſibi vendicet S. Franciscus Xaverius: *quem* (Urbani VIII. eſt oraculum) *DEUS adeò magnificavit, ut nomen ipſius honorabile fecerit apud omnes Gentes:* quâque fiduciâ ad celeberrimum hunc Sanctum, ac Thaumaturgum recurrere poſſint ii omnes qui ſeu cum aliquo gravi morbo, ſeu cum peſte, ſeu cum alio quovis adverſæ fortunæ caſu conflictantur.



MOTIVA
AD EXCITANDAM DEVOTIONEM IN S. FRANCISCUM XAVERIUM.

1. Ex Bulla Canonizationis, S. Xaverius adeò fuit divinâ incensus charitate, *ut vultu* aliquando *inflammatus Angelicam prorsus charitatem repræsentaret: nec divini amoris perferre valens incendium, sæpiùs exclamaret:* SATIS EST, DOMINE! SATIS EST!

2. Hoc amore dignus effectus est, *ut multis & eximiis* (verba sunt Pauli V.) *virtutum, gratiarum, & miraculorum donis* fuerit *à DEO illustratus.*

3. Ad proximum verò ità incendium hoc se effudit, ut dixerit aliquando Gregorius XV. *Xaverius nihil minùs à magnis fecit Apostolis.*

4. Nam, ut loquitur idem Gregorius: *Unus Xaverius plures submisit Ecclesiæ, quàm suo Romani, Græcique subdiderint Imperio.*

5. Unde gravissimorum virorum constans est effatum: *Unâ solius Xaverii operâ plures Gentilium ad ovile Christi esse adductos, quàm omnes hæresiarchæ simul sumpti abduxerint.*

6. Quare meritò Xaverium laudat Urbanus VIII. quod *pro animarum ſalute innumeros, maximosque labores atque ærumnas perpeſſus, ingentia terrâ marique pericula ſubivit.* Cui addit Alexander VII. *Xaverium graviſſimis pro fide Catholica laboribus conſumptum eſſe.*

7. Quam ob cauſam S. Xaverium DEUS (ita loquitur Urbanus VIII.) *adeò magnificavit, ut nomen ipſius honorabile fecerit apud omnes gentes.*

8. Nam (verba ſunt Alexandri VII.) *Xaverius mortuorum ſuſcitatione, & Prophetiæ gratia toto orbe eſt conſpicuus.*

9. Imò ejusdem Alexandri VII. oraculo: *ubique terrarum novis, maximisque fulget miraculis Xaverius.*

10. Denique ad magnam in hunc Sanctum fiduciam movere poteſt, experientia quamplurimorum, qui ſincerâ ad ejus patrocinium fiduciâ recurrerunt, aut eos obtinuiſſe, quod per hujus interceſſionem petebant; aut dono tolerantiæ & conformitatis cum Divina voluntate, fuiſſe remuneratos.

☙ o ❧

DE-

DEVOTIONES
VARIÆ,
QUÆ HONORI S. FRANCISCI XAVERII SUSCIPI POSSUNT.

Cum obſervatum eſſet, tum annos, quibus D. Xaverius in excolendis Indiarum gentibus indefeſsè laboravit, fuiſſe omnino denos; tum diem ipſius obitûs, qui erat 2. Decembris eo anno 1552. fuiſſe feriam ſextam; tum etiam Supremo vitæ ipſius anno Crucifixi Imaginem in domo paterna quot diebus Veneris, usque ad diem obitûs ſanguinem ſudâſſe; nata eſt, & non ſolùm in Italia, ac Regno Neopolitano, ſed etiam in Germania, aliisque locis magno multorum cum fructu, & animæ ſolatio uſurpata devotio, decem ordine dies Veneris honori ipſius celebres obeundi. Si quem ergo vel neceſſitas adurgeat, vel ſingularis cujuspiam per interceſſionem S. Xaverii obtinendæ gratiæ deſiderium ad ejusmodi devotionem moveat, pauca quædam exercitia pia annecto, quæ feriis illis ſextis, & decurſu decem hebdomadarum uſurpare poſſit.

1. Devotè confeſſionis, ac ſacræ ſynaxeos Sacramenta obire.

2.

2. Jejunio, aut aliâ leviori pro cujusque ſtatu, ac poſſe, abſtinentia corpus afflictare.

3. Ante Aram ipſius, aut iconem, quam quisque decenter in conclavi ſuo ornatam conſervabit, decem Pater noſter, & Ave Maria, & Gloria Patri, cum Antiphona, & Oratione infra ſcripta recitare. Nec res exigui fructus eſſet, ſi quis aliquod temporis ſpatium in illius Virtutum meditatione, vel lectione vitæ ejus impenderet.

4. Sacrum Miſſæ Sacrificium ſaltem primo, & ultimo die Veneris fieri curare.

5. Stipem pauperibus pro cujusque poſſe, ſi non corporalem, ſaltem ſpiritualem elargiri.

6. Super omnia illo die ad Divi honorem defectum aliquem ſpecialem ex iis, qui plerumque ſolent magis animæ ſtatum conturbare, & in via ſpiritûs officere, omni ſtudio, contentioneque devitare.

7. Decurſu illarum hebdomadûm, vitam Sancti cum piis præſentis opusculi exercitiis, præſertim verò dicta, ac documenta infrà ponenda, & ad imitationem illius excitantia, perlegere.

8. Poſtremò ſummâ cum fiduciâ, magnâque reſignatione optatam gratiam poſtulare. Etenim ipſa experientiâ compertum habemus, eos, qui cum fiducia ſe ſub Sancti Franciſci Xaverii patrocinium recipiunt, benignè

nignè exaudiri, ut ſaltem patientiam, & robur ſeſe divinæ voluntati conformandi, reciperet, ſi ea, quæ petunt, non conſequantur.

9. Ut ſe quis dignum tali gratiâ reddere valeat, tollenda ſunt omnia ſpiritualis profectûs impedimenta, seriò devotioni, internæque culturæ animi cum frequenti discuſſione conſcientiæ inſiſtendo.

10. Demum cum omni diligentia ſe in proximorum auxilio impendere; ut quivis juxtà ſuum ſtatum, in operibus miſericordiæ corporalis, aut ſpiritualis ad S. Franciſci Xaverii imitationem ſeſe exerceat oretque pro converſione Gentilium, aliorumque peccatorum, recitando devotè ſequentem precatiunculam, quam ipſe Sanctus fecit, & frequenter ſolebat repetere.

O Jeſu Chriſte, Deus cordis mei, obſecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, famulis tuis ſubveni, quos pretioſo Sanguine redemiſti. Turſ. vitæ l. 5. c. 2.

ORATIO ECCLESIÆ DE S. XAVERIO.

Antiph. Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi Regnum DEI.

Ore-

Oremus.

DEUS, qui Indiarum Gentes Beati Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

ORDINARIA PIA OPERA
HONORI S. XAVERII USURPANDA.
SINGULIS MENSIBUS.

Opportunum fuerit singulis primis Feriis Sextis cujuslibet mensis sacræ Synaxi accumbere, ac jejunium ejusdem diei stabile offerre DEO cum dicta Communione ad honorem S. Xaverii, & pro Animabus purgatorii, quæ peculiariter affici erga hunc Sanctum consueverunt, nisi ob certas causas S. Communio in Dominicam proximè sequentem transferenda esset. Proderit etiam minimùm semel in mense Coronam Beatissimæ Virginis recitare, & sacro Missæ interesse, supplicando pro Gentium, & peccatorum conversione, cui se, vitamque universam S. Xaverius impendit.

Ad memoriam annorum ætatis S. Xaverii rosarium 5. Decadum hoc modo contexere poteris, ut singulæ constent hac invocatione: *Sancte Francisce Xaveri ora pro me.* decies repetitâ; singulas autem distinguat

sequens

ſequens precatiuncula: *Sancte Franciſce Xaveri, rogo te amore Dei, impetra mihi verum Dei amorem, & inter frequentes actus amoris Dei, mortem felicem.* Demum Officium, & Litaniæ de Sancto Xaverio, quas vide infrà, ſæpiùs decurſu Menſis pro cujusque devotione, & opportunitate recitari poterunt.

SINGULIS HEBDOMADIS.

Feriâ Sextâ cujuslibet hebdomadæ conducet inviſere Templum, aut Sacellum, vel ſaltem Altare S. Xaverio dedicatum; recitando eo in loco decies Pater noſter, & Ave Maria, & decies Gloria Patri, &c. in memoriam annorum decem, quos pro ſalute proximi in Indiis S. Xaverius impendit, factaque intentione orandi pro omnibus Sancti hujus Patroni honorem fideliter, ac ſolicitè procurantibus.

Feriâ etiam ſextâ, ſi opportunum fuerit, recitari poterit Officium de Sancto, & una ex infrà ponendis Litaniis.

SINGULIS DIEBUS.

Singulis diebus licebit cuivis ter devotè pronuntiare ſequentia: *Sancte Franciſce Xaveri ora pro nobis, ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* Commodiùs fortè accidet iſta dicere. Primò, cùm è lecto ſurrexeris. Secundò veſpere, priusquam decumbas. Tertiò, horâ duodecimâ, quâ & Chri-

ſtus,

ſtus, & Sanctus tuus Patronus obierat. Præter orationem Eccleſiæ: *Deus, qui Indiarum Gentes, &c.* ſuprà poſitam, aliqua ex infrà ponendis orationibus, cum brevioribus de S. Xaverio Litaniis quotidie pro cujusque devotione utiliter recitari poterunt.

OFFICIUM SANCTI FRANCISCI XAVERII, SOCIETATIS JESU.



INVOCATIO.

FRANCISCE, Mundi Gloria,
Orbisque Lumen alterum:
IGNATIO quem proximum
Gradu ſecundo ponimus.
Audi Clientum carmina,
Quæ mente gratâ pangimus:
Et ora te canentium
Aurâ favoris ſubleva.
Mens incaleſcat ſpiritu,
Illo incitata ſpiritu,
Quo tu flagrabas unicè
Augere Chriſti gloriam.

Fac, ut medullas pectorum
Cæleſtis intret gratia,
Quæ nos ſupernis ſedibus
Terris ſolutos aſſerat.
Sit Trinitati Gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
Utrumque Mundi cardinem
Novo replevit lumine. Amen.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

In flore vitæ Xavier
Spretis honorum faſcibus,
Spebusque ſtirpis Patriæ
Ad cæli amores vertitur.
Sacra calore Spiritûs
DEO parata victima,
Ignatianis æſtuans
Totus liqueſcit ignibus.
O vita JESU cordium!
Fac, ut caduca deſerens,
Te, ſorte quam conceſſeris,
Mea mens requirat unicum!

Antiph. Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Gen. 12.

℣.

℣. Inveni filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum. ℟. Qui faciet omnes voluntates meas. Actor. 13.

OREMUS.

DEUS, qui Evangelium Regni tui per barbaras Gentes, & reconditas nationes S. tui Francisci Xaverii prædicatione ſeminâſti, & ejus ſanctitatem innumeris hactenus miraculis decorâſti; concede, quæſumus, ut cujus memoriam agimus, etiam virtutes imitemur. Per Dominum, &c.

AD LAUDES.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

Exegit omnem laudibus
Amoribusque Numinis
Inter ſecunda & aſpera
Vitæ diem XAVERIUS.

Seu mane Sol aſſurgeret;
Seu conderetur æquore;
In ore DEUS inſederat,
In corde JESUS vixerat.

Mea, DEUS, ô felicitas!
Fac; ut (quod olim geſtio,
Amare te perenniter)
Dum vivo totus ordiar!

Antiph. Quid mihi eſt in cælo, & à te, quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Pſal. 72.

℣. Laudabit usque ad mortem
℟. Anima mea Dominum. Eccl. 51.
Oratio ut ſupra.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

Miſertus orbis ultimi
XAVERIUS caliginem,
Ab Occidentis finibus
Emergit inſtar Cynthii.
DEUM ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Apoſtolus, deperditæ
Iterum, futurus Indiæ.
JESU ſalus mortalium,
Ita fac amare proximum,
Ut ab hoc amore Curia
Adaugeatur Cœlitum!

Antiph. Ite Angeli veloces ad gentem exſpectantem, & conculcatam, cujus diruperunt flumina terram. Iſa. 18.
℣. Dedi te in lucem gentium.
℟. Ut ſis ſalus mea usque ad extremum terræ. Iſa. 49.
Oratio ut ſuprà.

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

Miraculorum gloriâ
Apoſtolatûs inſulis

Et

Et gentium præconiis
Ubique magnus Xavier.
Suo tamen ſuffragio
Poſtremus unus omnium
Cujuslibet ſolatiis
Se dedicat XAVERIUS.
O qui ſuperba conteris
JESU humilium ſublimitas!
Tuo ex amore deſpici
Fac, ut frequenter expetam!

Antiph. Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam, plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & glorioſior apparebo. 2. Reg. 6.

℣. Omnibus omnia factus ſum.
℟. Ut omnes facerem ſalvos. 1. Cor. 9.
Oratio ut ſuprà.

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

O Virginem XAVERIUM!
Et ſanguinis caloribus,
Erroribusque gentium,
Et ſomniis ſuperſtitem!
Hinc caſtitas poſt funera
Vetuit malam putredinem
Intacta ſemper lipſana
XAVERII contingere.

O Diva JESU puritas!
O Matre nate Virgine!
Da labe ſine, me conſequi
Quâ ductor Agnus iveris.

Antiph. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius; quoniam apud DEUM nota eſt, & apud homines. Sap. 4.

℣. Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit.

℟. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei. Apoc. 14.

Oratio ut ſuprà.

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

Vaſtæ remotas Indiæ
Plagas obit XAVERIUS,
Lojola ſed vel literâ
Si juſſeris; revertitur.

Nec ſol, utut promptiſſimus,
Vel ſtare, vel recurrere
Volente juſſus Numine,
Talis reſorbet orbitam.

Exordientem Nominis
Agnoſco JESU literam:
Opto per hanc cum legibus
DEI placita decurrere!

Antiph. Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne demittas legem Matris tuæ, ut addatur

datur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prov. 1.

℣. In capite libri ſcriptum eſt de me.

℟. Ut facerem voluntatem tuam DEUS meus. Pſal. 39.

Oratio ut ſuprà.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

HYMNUS.

Cecidêre monſtra Tartari,
Idola pulſa gentium,
Fide inſtituti Japones,
Chinæ recluſa littora.
Vicena quin & funera
Et quinque vitæ reddita:
Pulſis tot orbe peſtibus
FRANCISCE Numen evocat.
JESU laborum præmium,
Mercede major maximâ
Conando quidquid geſſero:
Te, Te in coronam poſtulo.

Antiph. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Pſal. 90.

℣. Nimis honorati ſunt amici tui DEUS.

℟. Nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

Oratio ut ſuprà.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEUS ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium. &c.

HYMNUS.

FRANCISCE jam cæleſtium
Divis recepte ſedibus,
Dignare te colentium
Piis adeſſe mentibus.

Omnem per orbem gloriæ
Tuæ eriguntur ſymbola,
Per te impetratæ gratiæ
Ubique ſtant inſignia.

Eous, & Septemtrio,
Meridies, & Occidens,
Et iſte, & ille plurimis
Tibi calet clientibus.

O perditorum temporum
FRANCISCE ſpes ampliſſima,
Orbis Pater noviſſimi,
Patrone, Lux, Apoſtole.

Salve! tuoque lumine
Tuos ſerena ſupplices:
Fac mundus omnis ardeat
Divini amoris Numine.

Fides ut una gentium:
Fines inundet omnium:
Ut una pax cœleſtium
Cor jungat & terreſtrium.

Antiph. Hic eſt fratrum amator, & populi Iſráël, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate. 2. Mach. 15.

℣. Ora pro nobis S. Franciſce Xaveri.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio ut ſuprà.

LITANIÆ
AD SANCT. FRANCISCUM XAVERIUM.

Quas Illuſtriſſimus Dominus, D. F. Caſparus de Villaróël, Epiſc. S. Jacobi Chilenſis, & Regiæ Hiſpaniarum Majeſtatis à Conſiliis, in honorem Sancti (quòd ejus patrociniô inter ruinas ex terræ motu jam ſepultus, ſalvus evaſerit) gratitudinis ergò concinnavit ipſe, & ſtatis ex voto diebus recitavit; ac deinde in publicum aliorum bonum typis evulgavit.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Pater IGNATI, Ora pro nobis.

Sancte FRANCISCE XAVERI, dignissime, & dilectissime Fili S. P. Ignatii,
S. Franc. Xaveri Indiarum Apostole,
S. Franc. Xaveri Evangelizans pacem,
S. Franc. Xaveri Evangelizans bona,
Vas electionis portans nomen JESU coram gentibus,
Vas redundans Divinæ Charitatis,
Firmamentum Orientis Ecclesiæ,
Propugnator Fidei,
Impugnator infidelitatis,
Prædicator Evangelicæ veritatis,
Idolorum Destructor,
Electum à Patre æterno Instrumentum propagandæ Divinæ gloriæ,
Fidelis imitator, & Socie JESU Christi Filii DEI,
Tuba resonans S. Spiritûs,
Columna Templi DEI,
Lux Paganorum,
Magister Credentium,
Speculum veræ pietatis,
Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis,
Exemplar Apostolici Spiritûs, & sanctitatis,
Lumen cæcorum,
Pes claudorum,
Auris surdorum,
Auxiliator naufragantium,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Salus

Salus ægrotantium,
Fugator Dæmonum,
Suſcitator mortuorum,
Cujus poteſtati obediunt mare, & tempeſtates,
Cujus imperia venerantur univerſa elementa,
Prodigiorum Thaumaturge,
Refugium miſerorum,
Gaudium afflictorum,
Orientis ſplendor,
Pignus reſurrectionis ad vitam gratiæ, & gloriæ,
Tabernaculum incorruptionis,
Ærarium Divini Amoris,
Gloria Societatis JESU,
Legate Apoſtolicæ Romanæ Sedis,
Ora pro nobis.

Pauperrime Xaveri,
Caſtiſſime Xaveri,
Obedientiſſime Xaveri,
Humillime Xaveri,
Crucis Chriſti, ac laborum pro Chriſto cupidiſſime Xaveri,
In ſalutem proximi vigilantiſſime Xaveri,
Suaviſſime Xaveri,
Glorioſiſſime Xaveri,
Animarum & Divini honoris zelator ardentiſſime,
Angele moribus, & vitâ,
Ora pro nobis.

Patriarcha affectu, & studio curandi populum DEI,
Propheta dono, & Spiritu,
Apostole dignitate, & merito,
Doctor gentium potens in multifario sermone, & opere,
Confessor virtute, & vitæ professione,
Virgo animô, & corpore,
In quo uno Sanctorum omnium merita ex Divina benignitate veneramur,

Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Domine.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Ora pro nobis S. Francisce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEUS, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius, ut, qui B. Francisci Xaverii Confessoris tui gloriosa merita colimus, ejus pia patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

LI-

LITANIÆ BREVIORES
DE S. FRANCISCO XAVERIO.
Ex ſolis Summorum Pontificum Oraculis.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Sancte FRANCISCE XAVERI,
Apoſtolicæ S. Romanæ Sedis Nuntie, (*Paulus III. A.* 1540.)
S. Xaveri multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtrate, (*Paul. V. A.* 1619.)
S. Xaveri Vir Cælitibus magis ſimilis, quàm mortalibus,
Chriſtiani Imperii Propugnator,
Qui nihil minus à magnis feciſti Apoſtolis,

Ora pro nobis.

Qui plures ſubmiſiſti Eccleſiæ, quàm ſuo Romani, Græciq; ſubdiderint imperio,
Cujus ingenti animo anguſtus orbis terrarum fuit, *Gregor. XV. A.* 1622.)
Gloriâ ſanctitatis, & meritorum ſplendore præcipuè emicans,
Novarum gentium Apoſtolus unanimi totius Chriſtiani orbis conſenſu meritò appellate,

Ora pro nobis.

Qui pro animarum ſalute innumeros, maximosque labores, atque ærumnas perpeſſus, ingentia terrâ, marique pericula ſubiviſti,

Quem

Quem DEUS adeò magnificavit, ut nomen tuum honorabile ſit apud omnes gentes,

Verè Sanctus, & electus DEI, (*Urbanus VIII. A.* 1623.)

Mortuorum ſuſcitatione, & Prophetiæ gratiâ toto orbe conſpicue,

Graviſſimis pro Fide Catholica laboribus conſummate, (*Alexand. VII. A.* 1663. *in Martyrol. Rom.*)

Agnus DEI, qui tollis, &c.

Ora pro nobis.

ORATIO AFFECTUOSA
AD S. FRANC. XAVERIUM.

In quacunque corporis aut animæ afflictione.

Sanctiſſime Pater Franciſce Xaveri, qui ex ore infantium & lactentium perficis laudes tuas; humillimè obſecro humaniſſimam charitatem tuam per ſanguinem JESU pretioſiſſimum, & per Immaculatam Conceptionem Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ MARIÆ, ut mihi ab infinita DEI bonitate, (ſi me in hac mea afflictione diutius permanere expedit) impetres; ut eam ex manu DEI ſuſceptam, patientiſſimè perferam in honorem patientis Chriſti: ſin me ſumma DEI bonitas eâ liberum velit: Protector mi prodigioſiſſime, excita potentiam tuam, & veni; ut me ab afflictione hac mea liberes, in manu forti, & in brachio tuo excelſo: ut

ut nulli humano auxilio, ſed tuis apud JESUM, & MARIAM interceſſionibus mihi impetratam debeam ejusdem liberationem. Ecce Pater mi humaniſſime, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus, Amen.

ORATIO à S. XAVERIO

COMPOSITA, ET AB EODEM PRO GENTILIUM, HÆRETICORUM, AC PECCATORUM CONVERSIONE SÆPIUS USURPATA.

Turſel. lib. 5. cap. 2.

Æterne rerum omnium effector DEUS memento abs te animas Infidelium, Hæreticorum, & peccatorum procreatas, easque ad imaginem, & ſimilitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum, his ipſis infernus impletur. Memento JEſum Filium tuum, pro illorum ſalute atrociſſimam ſubiiſſe necem. Noli quæſo Domine, ultrà permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; ſed precibus Sanctorum Virorum, & Eccleſiæ Sanctiſſimi Filii tui Sponſæ placatus, recordare miſericordiæ tuæ; & oblitus idololatriæ, & infidelitatis eorum, effice, ut ipſi quoque agnoſcant aliquando, quem miſiſti Dominum JEſum Chriſtum, qui eſt ſalus, vita & re-

resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO S. FR. XAVERII, PRO PERSECUTORIBUS.

Tursel. vitæ l. 5. c. 6.

Domine JEsu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus obtestor te, ut intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri tuo assiduè pro nobis exhibes, eaq; salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris ut resipiscant.

SUSPIRIA SINCERI AMORIS

Rhythmo Hisp. à S. Xaverio composita.

Nec gaudiorum æternitas
Promissa diligenti,
Nec inferorum æternitas
Parata negligenti,
Nec illa me, nec ista me
Amare Te coëgit;
Te! qui cruenti stipitis
Sublatus in theatrum,
Exemplar es pulcherrimi
Et artifex Amoris.
Ah! conspicor trabalibus
Manus, pedesque clavis
Fixumque pectus militis
(Sed plus amoris) hastâ!

Heu

Heu flagra, ſpinas, vulnera,
Heu probra, ſputa, ſannas,
Tandemque contemptiſſimam
Pro me nocente mortem!
Hæc una me dulciſſimi
Sinceritas Amoris;
Hæc ô Amator optime!
Amare Te cóëgit.
Si nulla nobis præmia
Promitteres, Amarem:
Si nulla nobis tartara
Prædiceres, Amarem.
Gratisque Te, ſemperque Te
Amo DEUS, & amabo:
Ut tu prior, gratisque me
Amaveras, Amabo.
Tantumque Te, quod Optimus,
DEUSque ſis, Amabo.

ASPIRATIONES S. FR. XAV. INTERDIU FAMILIARES.

JESU Chriſte Fili DEI vivi, da hoc nobis, ut te ſuper omnia diligamus.

Da nobis Domine ſanctiſſimæ voluntatis tuæ perfectè ſemper agnoſcendæ, & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam.

Quis mihi det, ut ego moriar pro te, & cognoſcant te omnes fines terræ!

Ampliùs Domine *cruciari* ampliùs!

DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum.

Satis eſt Domine, *Te ſi habeam*, ſatis eſt.

ASPIRATIONES EJUSDEM INTER DORMIENDUM.

Turſel. l. 6. c. 5. & Rel. pro Canon. p. 19.

Mi JESU! Dulcis JESU!
O JESU bone! O Creator mi!

SUSPIRIA S. FRANCISCI XAVERII MORIENTIS.

JESU Fili David miſerere mei! Tu autem peccatorum meorum miſerere!

Mater DEI memento mei!
JESUS! MARIA.
JESU, DEUS cordis mei!

Lib. 5. cap. 11.

Poſt mortem apparuit S. Xaverius ægro Maſtrillo; eumque perſanans, hunc, ſanctam crucem ſalutandi, modum docuit, in hæc verba:

Ave Lignum Crucis! ave Crux pretioſiſſima! me totum tibi dedico in perpetuum.

AFFECTUS AMANTIS ANIMÆ S. FRANC. XAVERII.

O DEUS! ego amo Te,
Nec amo Te, ut ſalves me;

Aut

Aut quia non amantes Te
Æterno punis igne.
Tu, tu, mi JESU, totum me
Amplexus es in Cruce;
Tulisti Clavos, Lanceam,
Multamque Ignominiam,
Innumeros Dolores,
Sudores, & Angores.
Ac mortem: & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O JESU Amantissime!
Non, ut in cælo salves me,
Aut nè in æternum damnes me,
Nec præmii ullius spe,
Sed sicut Tu amâsti me,
Sic amo, & amabo Te.
Solùm quia Rex meus es;
Et solùm quia DEUS es. Amen.

Hanc Orationem quicunque dixerit ante Imaginem S. Francisci Xaverii, toties Indulgentiam 200. *dierum lucrabitur.*

FORMA ELIGENDI S. FRANCISCUM XAVERIUM IN PATRONUM.

Sancte, & Gloriose Indiarum Apostole, Francisce Xaveri, ego N.N. tuâ, quâ in omnes te invocantes benignus es, pie-


 tate

tate invitatus; te hodie in Patronum, & Advocatum eligo; & corpus meum, & animam meam; omnem ſpem meam, & conſolationem meam; omnes anguſtias, & miſerias meas; vitam, & finem vitæ meæ in ſinum tuæ charitatis commendo. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in clientem perpetuum, adſis mihi in omnibus actionibus meis, ut eæ ad omne beneplacitum DEI dirigantur. Amen.

FORMULA,

QUA SE PIA QUÆDAM ANIMA S. XAVERIO DEVOVIT.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui B. Franciſcum Xaverium gratiâ ſanitatum univerſo orbi celebrem effeciſti: Ego N. N. licet Divino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen ejusdem S. Francisci Xaverii interceſſione coram Divina tua Majeſtate proſtratus voveo me (quoad vita & ſanitas indulſerit) 3am diem Decemb. quæ eidem S. Francisco Xaverio ſacra eſt, quotannis confeſſione, & S.S. Euchariſtiæ ſumptione celebraturum. Accipe, Miſericordiſſime DEus, indigniſſimi ſervi tui humile votum, & præſta; ut, quod meis meritis non valeo, id Sancti tui Francisci Xaverii patrocinio, & piâ interceſſione aſſequar. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.



DOCU-

DOCUMENTA VITÆ BENE INSTITUENDÆ,

EX VITA, ET EPISTOLIS S. FRANCISCI XAVERII DESUMPTA.

I.

V*incere ſeipſum*, primum exiſtimabat, maximeque neceſſarium ad omnem ſanctimoniam documentum. Unde non ſolùm ſocios ſuos (ut ait Turſ. vitæ lib. 6. c. 2.) admonebat, *ut ſemet parvis in rebus vincere aſſueſcerent, ita demum majorum certaminum fore victores*: ſed alios quoque, quorum curam ſpiritualem ſuſcipiebat, hortabatur aſſiduè ad crebram ſui victoriam circa iram, & ſenſuum delectationem: alioque profecturus intimis ſuis hoc ſupremum relinquebat documentum: *Vince teipſum*. Ajebat enim L. 3. Ep. 4. *Se ab optimo parente noſtro Ignatio ſæpiùs audiviſſe, ſpem & fiduciam divinam plerumque dari iis, qui ſeipſos omni ratione ſuperare conantur.* Imò lib. 3. Ep. 4. & l. 1. Ep. 1. Beatum eſſe, inquiebat, vivere quotidie moriendo, noſtraſque frangendo voluntates.

II.

Contra tentationes muniendum propositis animum docebat. Ideo sui ordinis Religiosis suadebat, ut quotidie sub meditationem vota renovarent contra Dæmonis insidias. Turs. l. 6. c. 18. Ad fortiter verò, & constanter contra eas pugnandum hoc præsertim motivum adhibebat, quod ex ipsa pugna liquidissima voluptas animi emergat. In quem sensum scribit Lib. 3. Ep. 5. *Bone DEUS, non intelligunt homines, quantâ, quam liquida voluptate careant idcircò, quòd minus fortiter dæmonis conatibus obsistant.*

III.

Detrimentum animæ undequaque præcavendum monebat. Ideo quod à S. Ignatio Parisiis didicerat, passim omnibus instillabat, ut quotidie per quartam horæ partem illam Christi sententiam expenderent: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ita scribit l. 3. Ep. 5. *Mementote semper illam cælestis Magistri vocem: Quid prodest homini,* &c. Et Regi Lusitaniæ, Lib. 2. Epist. 5. saluberrimum idem consilium suggerit, *ut quotidie per quadrantem horæ divinam hanc sententiam meditando, germanam ejus intelligentiam à DEO petat, cum sensu animi interiore con-*

conjunctam; & simul omnium precationum suarum illam velit esse clausulam: Quid prodest &c.

IV.

Attendendum sibi, crebra erat ejus monitio; nec torpendum ad ea, quæ DEO, quæ animæ, & conscientiæ debentur; ita enim facilius ac promptius DEO servitum iri. Idcirco mentem quotidie, mane minimùm, & vespere colligendam, & quidpiam de vita Christi considerandum. Reputandum sæpe cum animo, quam quisque parvos in virtute progressus fecerit, quantumque temporis contriverit. Nam qui huiusmodi cogitationes suscipiunt, hos profectò, ajebat, pudet, ac stimulis excitati ad detrimenta sarcienda animos ac vires recipiunt. *Ioan. Lucen. in ejus vita.*

V.

Conscientiæ puritatem, magnopere curandam semper suasit, tanquam in ea perfectæ vitæ cardo verteretur: ideo nunquam decumbendum lecto, nisi prius benè excussâ conscientiâ, petitâ à DEO erratorum veniâ, & firmato melioris vitæ proposito: manè verò primam suscipiendam esse cogitationem de modo corrigendi pridiano examine deprehensa peccata, & vitandi ea, quorum posset se occasio exhibere. Quod verbo suasit, firmavit exemplo, qui quotidie

die ſæpius, & accuratè conſcientiæ ſinum excutiebat. *Ioan. Luc. in vita.*

VI.

Mortis, ut optimæ rerum agendarum conſultricis memoriam ſummis, & imis habendam docebat. Hanc liberè ingerebat Joanni III. Regi Luſit. Lib. 5. Epiſt. 6. *Poſtula à DEO Domino noſtro, ut in hac vita det tibi gratiam ſentiendi, & agendi id, quod in momento tuæ mortis gauderes te feciſſe.* Et Lib. 5. Epiſt. 12. ad eundem: *Decretorium æternitatis momentum citiùs aderit, quàm Majeſtas tua putat. Quare danda maturè opera, ut benè ad illud paratus occurras. Regna & principatus tranſeunt. His nova ſuccedet, & inopinatiſſima rerum facies, plane qualis ne cogitatione quidem, aut ſuſpicione primâ Majeſtati tuæ unquam in mentem venerit.*

VII.

Ad teporem excutiendum hanc ſuggerebat cogitationem lib. 3. Ep. 5. *Cogites, complures eſſe homines facinoroſos, qui, ſi abſterſâ ſuperioris vitæ quaſi fuligine, in eâdem, in qua tu es ſcholâ virtutis, divinitùs collocarentur, non modò vitæ rationem commutarent, ſed etiam te ſedulitate, ac virtute, non ſine tuo pudore, præcurrerent.*

VIII.

VIII.

Ut sanctum nostri ipsorum, odium ac mortificationem persuaderet, ita scripsit lib. 2. Ep. 1. *Sint ex iis, qui à mundo, carne, diabolo injuriosè tractati, suas pariter & DEI injurias ulcisci in semetipsis expetant.* Hoc studio *Christiani* nomen sustinendum censebat Lib. 2. Ep. 12. *Christianum est in cruce magis, quàm in quiete lætari.* Quandam in eo beatitudinis partem reperiebat lib. 1. Ep. 1. *Crucis amatores, vitam ærumnis exercitam beatam ducunt: Crucis autem fugam mortis instar putant.*

IX.

Humilitatem ita commendabat Libr. 3. Epist. 5. *Diligenter colite humilitatem; summòque studiô elaborate, ut divinâ ope vos ipsos penitus cognoscatis. Nam sui cognitio nutrix est divinæ fiduciæ, ac parens Christianæ humilitatis. Quippe ex nostri diffidentiâ DEI fiducia nascitur, quæ vera est, atque germana fiducia.* Et ibidem acriùs ad hanc virtutem incitat, dum ait: *Multi nunc apud inferos cruciantur, qui, quòd falsâ fallacique sui opinione inflati, germanâ animi submissione vacarent, ad sempiternas illas pœnas sunt devoluti. Nemo autem omnino apud inferos est eorum, qui, cùm*

hujus vitæ ærumnis affligarentur, id egerunt, ut interiore illa humilitate animum munirent suum.

X.

Orationem, ut colebat ipſe, & piaculi loco ducebat inter tantas occupationes minimum de ſolitis pietatis exercitiis detrahere, ita etiam aliis magnopere commendabat; imò & iis addendum ſuadebat. Turſel. lib. 6. cap. 16. ſemper & ubique cum DEO agere viſus, ad agendum cum DEO alios invitabat. Jaculatorias, quas vocamus, preces & fundebat identidem, & teneram etiam ætatem docebat. *Rel. Canoniz. Orland. Hiſt. lib.* 2. *n.* 22. Ad MARIAM Matrem DEI tenero agebatur affectu, hujus interceſſioni omnia committebat: *Quò faciliùs impetrarem*, inquit, *Sanctiſſimam DEI Parentem adhibui Patronam, quæ cæli Regina, nullô negotiô, quidquid orat Filium, exorat.* lib. 2. Ep. 6. Hanc vivens, hanc moriens compellabat ſæpiùs: *Monſtra te eſſe Matrem: Mater DEI memento mei.* Vulnera Chriſti frequentiſſimè pro converſione infidelium & peccatorum adorabat: Turſel. lib. 5. cap. 2. Animas in purgatoriis flammis agentes quotidie ſub veſperum precibus juvandas mo-

monebat, lib. 4. Epist. 19. Universa vita Xaverii fervens & continua fuit oratio: Diem in auxilio proximi tanquam Apostolus, noctem ut Anachoreta inter preces exigebat.

XI.

Ad obedientiam ita exhortabatur Lib. 2. Epist. 1. *Credas mihi, tibique persuadeas velim, nihil esse tutius, atque ab omni errore remotius, quàm semper optare sibi ab aliis imperari, & imperantibus ex animo obtemperare: contraque lubricum, ac periculosum esse negotium, ad suum arbitrium vivere, omisso eorum, qui præsunt, imperio. Nam, ut ab eo, quod præscribitur, deflectens rectè aliquid facias, tamen sic habeto, in eo plus pravi esse, quàm recti.*

XII.

Virginitatem exemplo docuit. Pro hac non tantùm vigil jejuniis, orationibus, spontaneis suis verberibus, ciliciis & catenis decertavit, sed etiam dormiens usque ad sanguinem pugnavit. Vixit, ac mortuus est virgo: & quemadmodum erat animo immaculatus, ita corpore post vitam mansit incorruptus, odore suavissimo è lypsanis diffuso. Tursel. in ejus vita.

XIII.

XIII.

Patientiæ exercendæ uti materia eſt frequens, ita ſit promptus animus. Stimulum à D. Xaverio accipe: *Ærumnæ, omnia incommoda, ſi DEI causâ, ut par eſt, ſubeantur, profectò magna ſolatia ſunt, & materia multarum, magnarumque cœleſtium voluptatum.* Lib. 1. Ep. 1. *Quodſi quando cæleſtis Numinis permiſſu exagiteris, atque vexeris, tum tibi perſuade, aut virtutem tuam exerceri, aut vitia & delicta expiari. Ita vel meriti occaſionem fieri, vel humilitatis.* Lib. 3. Ep. 5.

XIV.

Dilectionem proximi ſuadebat exemplo Dilectionis Chriſti in Homines. Ad hanc ſpectare ajebat, ut ſenſim feratur ac ſine moleſtia, ſi quid in proximi moribus apparet intolerabile. *Lucen. in vita.* Converſationem circumſpectam eſſe volebat: *Moneo vos,* inquit, *ita cum amicis intimis agere, quaſi ipſi futuri ſint olim inimici veſtri. Multum enim proderit hæc animadverſio. Lucen. in vita.* Inimicos oratione & beneficiis vincendos ita monebat: *Illud præclarum eſt ulciſcendorum inimicorum genus, ut eis & cæ-*

leſte

leste Numen placare, & benigna facere studeamus. Lib. 4. Ep. 12. Leni cum improbis agendum animô ita suadebat: *Talem eis te praebeas, qualem bonus pater improbis filiis, ut nunquam eis consulere desinas, quamvis cernas multis eos vitiis coopertos. Siquidem DEUS ipse, etsi ab illis, & à nobis saepe laesus, non desistit tamen suis omnes beneficiis cumulare: cumque perdere nos jure posset, tamen pro sua clementia in nostris delictis saepiùs connivet, in difficultatibus subvenit, ut vincat in bono malum.*

XV.

Voluntati DEI ut nostra conformetur frequentissimum est in ejus epistolis documentum. Lib. 1. Ep. 1. *Sedulam DEO, ut par est, navantes operam, ad ejus nutum & voluntatem totos nos usquequaque conformemus.* Rogandum ajebat DEUM, *ut doceat nos facere voluntatem suam; sic prorsus, ut quaecunque requirit à nobis, haud secus, quàm ipse velit, exequamur.*

❧ (o) ❧

PIESN

PIESN
O S. FRANCISZKU XAWERYM
INDYISKIM APOSTOLE.

Wielki podziemnych krajow Apostole
W iasnym Senatu Niebieskiego kole
Swięty Xawery witay posadzony.
Witay Doktorskim wieńcem ozdobiony
Swietny Kleynocie Anielskieyczystośći
Perło Indyiska, ubostwa godnośći.
Prętkiego dziwny wzorze posłuszenstwa
Udźiel pragnącym twego nabożeństwa
Naczyniem, Imię Jezusa noszącym.
Prorokiem iesteś narody uczącym
Rożnemi oraz mowiąc ięzykami.
Zazyi ich teraz do Boga za nami
Mężny obrońco Naywyższego chwały.
Zwyćięzkie w ręku piastuiący strzały
Zrań, Serca nasze niębieską miłością
Zapal twoiego Ducha gorącośćią.
Jasna Swiatłośći kraju Japońskiego
Ogromna trąbo Ducha Nayświętszego
Niech nam Sądowey trąby zabrzmi trwoga.
Byśmy zbawiennie pomnieli na Boga.
Przedziwnych cudow bogata skarbnico
Chromych podporo, y ślepych źrźenico

Użycz

Użycz Boſkiego światła y pomocy.
Tym ktorży błądzą na wieczne pułnocy
Wſpomożyćielu na morzu tonących
Beſpieczny porćie okrętow płynących
Ktorży pomorzu świata zegluiemy.
Poday nam rękę niechay nietoniemy
Ciebie y morża burźliwe ſluchaią:
Tobie żywioły ucha nadſtawiaią:
Więc wyuzdanych poſkrom namiętnośći
Bijące na nas zewſząd nawałnośći.
Ućieczko pewna chorobą złożonych
Słodka poćiecho Ludzi utrapionych.
Przyimi do twoiey tęſkniących opieki.
Ziednay weſele trwaiące na wieki.
Woyſka Czartowſkie ćiebie śię lękaią.
Umarli z grobu na twoy głos powſtaią.
Nie day piekielney nam potędze ſzkodzić.
Gdy będziem z placu śmiertelnego ſchodźić
Schyla pod twoie Oycze ſwięty nogi.
Starte na głowę bałwochwaſtwo rogi,
Szerokich granic piekloć uſtępuie.
A Niebo z nowych gośći tryumfuie.
Radoſny wſzytek kośćioł woiuiący.
Gdy mu zgubioną owcę dzwigaiący.
Na Swych ramionach Xawery przynośi,
Niech wiećźna ſława imię iego głosi!
Dzielny zołnierzu roty Jezuſowey.
Ognisty wiary ſtrażniku Piotrowey.
Zachęć nas ſwoim przykładem docnoty.
Pobudź do świętey koło duſz roboty.

Serce

Serce w Franciſzku Jezuſowe było.
A Franciſzkowe w Jezuſa wſtąpiło.
Gdy cierpiał ieden, drugi potu wiele.
Wylewał, iakby mięſzkał wtymże ćiele
Fenixie ogniem ſpalony miłośći.
Zadatku wieczney nieſkażitelnośći:
Uproś nam Szczere Boga zakochanie.
Ziednay do miłey Oyczyzny wzdychanie
Mocna kolumno kośćioła wſchodniego.
Zakonudawco Ludu dalekiego.
Wſpieray nas twoią przemożną przyćżyną,
Gdy śmierć oſtatnią pogrożi ruiną.

Ad M. D. G. & B. V. M. Honorem.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0019395

